



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 24. De Iudæ in Hortum aduentu cum militibus ad Christum
comprehendendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XXIV.

DE IVDÆ CVM COHOR-
te & ministris aduentu, ad com-
prehendendum I E-

S V M.

PUNCTVM I.



CHRISTO post orationem,
cum vndecim Apostolis in
horto colloquente, a *Ecce* a Ioan. 18. 3.
Iudas vnus de duodecim cum
accepisset cohortē, & à Pon-
tificibus & Phariseis mini-
stros, venit illuc cum later-
ni, & facibus, & armis: b *dederat autem Iudas* b Matt. 26.
ei signum, dicens: quemcumq; osculatus fuero, 48.
ipse est, tenete eum, c & ducite cautē. & acce- c Marc. 14.
dens ad IESVM, ait: Aue Rabbi; & osculatus est 44.
eum: Dixitq; illi IESVS: Amice, ad quid veni- d Luc. 22.
sti? d Osculo filium hominis tradis? 48.

PERPENDE primū, quas versutias Sa-
tanas per Iudam excogitauerit, vt Christum
comprehenderet; militum insolentium vio-
lentiā; ipsius Iudæ calliditatem, qua proditi-
onem osculo pacis contegeret: cuius etiam
execrandum facinus fuit, quod ex eiusdem
Christi Apostolo, caput, Duxq; sit factus pro-
ditorum, & capitalium Christi hostium; quos

I.

S 5

docet

doet quid sint facturi, vt vobis compotes fiant; ne triginta argenteorum, quos post traditum illis Christum accepturus ab eis erat, iacturam faceret. Ac deniq; intolerandam eius impudentiam, quam ostendit, dum noticiã ipsius Christi, lociq; ad quẽ orationis gratiã accedere cõsueuerat, vtitur ad illũ tradendum; & pacis de more osculo ad eum indicandum. Ex quibus omnibus, magnũ timorem concipiam profundissimorũ iudiciorum Dei; quem supplex orabo, ne me deserat; nec permittat iniquitatem meam eo, vsque progredi, vt ex bono eliciens malum, in meum damnum illud conuertam.

II.

DEINDE insignem ipsius Christi Domini charitatem & mansuetudinẽ perpende, quare in hac occasione multis in rebus ostendit. *Primum* in admittendo proditoris illius osculo, non ignoras ad prodicionem adhiberi. *Oculcissime IESU*, quomodo nõ horres, quod maledictũ illud os, ad tuam diuinam faciem adeo impudenter accedat / quomodo nõ ignis flammam emittis, quæ illũ consumant! Sed immensa tua charitas, non alias nunc flammam vult emittere, quàm amoris, cupiens nimirũ induratum proditoris cor emollire! Ex quo magnã fiduciam cõcipiam de misericordia huius Domini, qui non repellit osculum peccatoris ad ipsum conuertentis, sicut Magdalena, siquidem nec proditoris Iudæ repulit.

OSTENBIT etiam suã mansuetudinẽ, dum *Amicum* illum compellauit, & dissimulante osculum eius admisit, atque si, in quem finem

dirigeretur, ignoraret: dicens illi: *Amice, ad quid venisti?* atque si dixisset illi: recordare, quod mihi fueris amicus, & ut amicum te tractauerim: & nunc ex hoste cupio facere amicum; & ex amico ficto, verum & fidelem amicum. Si ideo venisti, iudens te recipiam, & ignoscam. dic ergo: *Ad quid venisti?* Benedicatur talis charitas, quae blandè adeo comiterque agit cum eo, qui vicem adeo crudelem ei reddit!

VOLUIT denique Christus Dominus blandè ac beneuolè Iudam corrigere, aperiendo illi, scire se ipsius scopum & finè: ideoque illi dixit: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* signo tam beneuolae amicitiae vteris, ut tantam exerceas inimicitiam? & pacis osculo, bellum mihi inferis? & quamuis discipulum nomine proprio compellat, in signum notitiae & amoris, quo illū prosequabatur; se ipsum tamen nō appellauit, nisi cōmuni nomine *filij hominis*, quò suam ostenderet humilitatem; omnia adhibēs media, ad cor illud induratum emolliendum: quamuis illius tanta fuerit obstinatio, ut nihil ad emolliendum profecerit: sed osculo proditorio expleto, ad milites & ministros mox redijt, à quibus, ut signum illud callidè daret, paulò antè recesserat.

III.

PUNCTVM II.

IESVS itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, praecessit, & dixit eis: *Quem queritis?* Responderunt ei: **I**ESVM NAZARENUM.

(non

(non dixerunt : Te, sed IESVM Nazarenum : quia nec satis eum nouerant) Dixit illis IESVS Ego sum. & statim abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

I.

CONSIDERA : voluisse Christum, cum erat comprehendendus, omnipotentia ac diuinitatis suae indicia dare, duobus editis signis : altero ad iustitiae suae potentiam ; altero ad misericordiae magnitudinem aperiendam. In primo est perpendenda eius magnanimitas & omnipotentia, dum intrepidè obuiam exit hostibus suis; vnoq; verbo, illos omnes, & Iudam ipsum proditorem ad terram prosterntis vnde nunquam surgere potuissent, nisi ad id ipse dedisset facultatem. Idque fecit Christus, vt tam Iudas quam reliqua turba intelligeret, nihil aduersus ipsum valere calliditatem aut fraudes, nec arma vlla, aut vires omnes humanas; vt illum, nisi ipse vellet, cōprehenderent; & si moriebatur, id esse, quia ipse sponte se ad mortem offerobat. Ex quo facillè intelligam: quod non valet contra ipsum Christum; nec contra eos valiturum, qui sub ipsius sunt protectione : ideoque de ipsius omnipotentia, ita mihi exultandum esse, vt illi innixus, quocunque aggrediar labores.

II.

VERBI quoque illius, EGO SVM, est perpendenda vis: quod bonis & iucundum est, & magnae cōsolationi, cum postquam in oratione eum quæsiuerunt & innocauerunt, respondet, sicut Apostolis: b EGO SVM, nolite timere : Ego vester sum pater, protector, re-

medium,

b Matt. 14.

medium, requies, & lætitia: Ego sum vestra sapientia, & iustitia; vestra sanctificatio & redemptio: Ego via vestra, veritas, & vita: Ego sum qui sum; & vos per me etiam habebitis. Esse quoddam beatum ab Esse meo participatum: At sceleratis, qui quærunt Christum, ut offendant, iniurijsq; afficiant, verbum hoc est terribile & tremendum: significat enim eis: EGO SUM Iudex vester, qui sum vos iudicaturus; sum omnipotens, qui damnare vos possum: Ego sum Deus vltionum, qui poenas à vobis exigam; sum qui sum, in damnum & infortunium vestrum, licet vestrà id exigente culpa. Quòd si verbum hoc, à Christo in hisce angustijs constituto prolatum, est aded potens, ut hostes suos prosternat: quantò erit potentius illud, quod proferet, dum veniet Rex ad iudicandum: cum dicet impijs: *c Discite à me maledicti*. Erit proculdubio instar violentissimi turbinis, qui non ad terram modò prosternet; sed ad profundum Inferni proiciet. Quamobrem anima mea, Christum humiliter quære, & eum inuenies in tuum magnum commodum: nam si elatè quæsieris & ob fines inanes, inuenies etiam; sed in tuam perniciem.

CONSIDERARE etiam licet causam, cur turba illa *retrosum* ceciderit, non in faciem? siquidem non casu aliquo id euenisse censendum est; sed ut intelligamus, impiorum casum esse periculosissimum, ut qui non videant, quò cadant, & quæ illos mala expectent: in quæ

Vide in 3. p.
Meditat. 27.
Punct. 3.

c Matth. 23.
41.

III.

INCI

incident repente, & incogitantes. Libera me Deus ab huiusmodi casu, vt nec ab incepto bono retrocedam; nec à tua gratia in culpæ decidam abyssum. Ante faciem tuam volo ob humilitatem cadere, meam agnoscens & confitens culpam; & Nihilum, quod ex meipso habeo; terram que, ex qua sum formatus: vt hac ratione cadens, ad aeternam tuam gloriam resurgam. Amen.

PUNCTVM III.

a Ioan. 18. 7.

FACTA militibus potestate surgendi, a iterum interrogauit eos IESVS: Quem queritis? Illi autem dixerunt: IESVM Nazarenum. Respondit IESVS: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire.

I.

PERPENDE hic primum cæcitatem & obstinationem Iudæ, & infelicitum illorum ministrorum, qui etiã tam aperto diuinitatis & omnipotentia Christi signo, nõ sese illi subiecerunt, nec vt Deum agnoscere voluerunt: sed more De nonum in obstinatione sua persiste-
runt, Quæ tamen etsi adeo impij, nõ tamen absque mysterio, interroganti Christo responderunt, se querere IESVM Nazarenum: ita Spiritu sancto statuente, vt ore etiam improbissimo manifestaretur, quod quem ad comprehendendum & occidendum quærebant, is Saluator esset mundi, Nazarenus & Sanctus, Deo consecratus, floridus virtutibus cœlestibus: quia talem esse oportebat, qui morte sua nos effec-

serua-

seruaturus. O IESVS Nazarene, quem si homines noscerent, omnes quærerent; non ut tibi mortem inferrent; sed ut à te vitam ipsi reciperent! Quæram te ego, ô dulcis IESVS, ut sis mihi ipse IESVS! Quæram te ego sanctum Nazarenum, ut per te sim ego Sanctus, tuoque obsequio consecratus.

PRÆ omnibus tamen immensam Christi erga suos perpende charitatem, curamque quam de eis gerit, ut ad eos defendendos, omnipotentis suæ efficacitate utatur. Nam illud verbum: *Sinite hos abire*, ad eò potens mandatum fuit, ut non potuerint eius hostes illi cõtrauenire, aut Apostolis in re vlla nocere. O IESVS amantissime, nunquam cessas amorem erga nos tuum in omnibus occasionibus ostẽdere! Permittis hostibus tuis contra te sæuire; prohibes autem nocere amicis tuis! vis omnia flagella cruciatuque super tuum dorsum venire, ut à tuis electis eos auertas! Seruias, ô anima mea, ex toto corde, tanto huic Domino; sine cuius licentia nutritæ, nemo tibi molestus esse potest: cuiusque bonitas est tanta, ut nulli talem deest facultatem in tuum detrimentum, si ei se r. ô ac diligenter volueris inseruire.

PUNCTVM IV.

VIDENTES Apostoli, a qui circa IESVM a Luc 22. 49.
erant, quod futurum erat, quia iam milites eum aggrediebantur: dixerunt ei:
Domine, si percutimus in gladio? b Simon aut em b Ioan. 18. 10
Petrus,

Petrus, feruore accensus, nec expectato Christi responso, educens gladium, percussit Pontificis seruum & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Respondens autem IESVS, ad interrogationem, dixit: Sinite vsque huc, permittite facere quod volunt. Petrum verò reprehendit, eiusque feruorem breuibus quidem, sed admirandis sententijs seuerè simul & blandè repressit.

I.
c Matt. 26.
32.

PRIMA sententia fuit. *c. Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quod est dicere, qui ultionis intuitu alium occidit; & ipse dignus est, qui occidatur. Perpende igitur, quam procul velit Dominus noster, nos ab hoc vindictæ spiritu abesse in rebus proprijs, qui ira discipulum increpat, ipsummet defendentem; eò quòd aliquid de eo spiritu feruori defensionis admiscuit. simul verò patefacit suam mansuetudinem, dum nec inter tot hostes ipsum iniurijs afficientes existens negligit, suis prelegere ac inculcare lectiones, quas sæpè a his docuerat, patientiæ & tolerantia; atque si pro suggestu & cathedra inter suos tantum discipulos loqueretur.

II.
d Ioan. 18. 11.

SECUNDA sententia fuit, *d. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Quibus verbis ostendit: quo ipse esset affectu erga calicem suæ Passionis; quanticque faceret illum bibere. Non enim illum tanquam à suis hostibus oblatum, sed tanquam Patris sui voluntate decretum intuebatur; quam summis votis

opta-

optabat implere: grauitate que ferebat, esse, qui illum ab eo auerteret. Nam etsi amarissimum, à tali tamen Patre adeoque sapiente, & ei gaude beneuolò oblatum, dulcissimum iudicabat. Similibus ergo oculis respicere me decet omnes labores & tribulationes mihi euenientes. Quòd si accesserit tentatio, aut cogitatio, quæ à tali calice ebibendo me retrahat, respondebotali suggestioni, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vi ut bibam?* O Pater amantissime, ecce me offero paratum ad quemcunque calicem, à te mihi oblatum exhauriendû; & quamcunque potionem præscripseris ebibendam, etiamsi insulsam, & amarissimam: nam à tua sapientia prouidentiaque præscripta, erit procul dubio iustissima, mihi que utilissima.

III.

TERTIA sententia fuit. *e An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim Legiones Angelorum?* n. subsidium & defensionem meam? *Quomodo ergo implebuntur Scriptura,* quæ afferunt: *quia sic oportet fieri?* Quibus verbis ostendit, quam sibi fuisset facile, media oratione, se ipsum ab omnibus suis hostibus defendere, plures Angelorum exercitus ea impetrans, quam venissent hostes ad ipsum comprehendendum: quos tamen petere volebat, ut diuinum de ipsius morte decretum, quam Scripturæ prædixerant, impleretur.

O bone IESU, gratias tibi ago, quòd abstinneris id petere, quod Pater tibi concessisset: quia nimirum maiorem nostræ neces-

statis, quam tuæ quietis aut vitæ curam gerebas.

Dv o hinc documenta eliciam: ALTERVM Orationis, quæ magna in Deum fiducia sit, efficacitate: vt ceri dè mihi persuadeam, si mihi sit necessarium, fore vt etiam Legiones Angelorum in mei defensionem mittantur; esseque verissimū, quod Eliseus dixit puero suo, *plures nobiscum sunt, quam cum illis*. ALTERVM documentum est, quod cum de voluntate Dei mihi constar, non debeam aliquid cōtra illum petere, etsi constaret mihi, posse me illud impetrare: quia nihil adeo optare debeo, aut petere; atq; vt sanctissima eius voluntas & decretum in me perficiatur.

4. Reg. 6,
16.

PUNCTVM V.

a Luc. 22. 52.

CVM a tetigisset IESVS auriculam eius serui, sanauit eum.

HOC secundum est miraculum, quod fecit Christus tēpore suæ Passionis; cuius causa fuit, tum vt amoris perfecti legem imple- ret, benefaciens inimico, & graue malum ipsi inferre cupienti: tum quod viscera misericordiae eius ferre non poterant, quemq; eius causa damno aliquo & incōmodo affici: ac denique ne hostes acciperent occasionem nocendi eius discipulis calumniantes eos, quod publicæ iustitiæ resisterent. O IESV dulcissime, qui cum posses miraculo vt ad tui defensionem, eā potestare vt non vis; qua tamen ad benefaciendū ei, qui te offendit, vteris libenter! Confer mihi
quæ lo

quo hunc amoris spiritum, quo erga meipsum severus, erga proximos vero sum lenis. Amen.

LICET etiam latentem in eodem miraculo spiritum considerare. Quod enim Christus dexteram auriculam sanet, indicat, meritis Passionis eius, auditum animæ dextrum, hoc est fidem, promptamque obedientiam ijs omnibus quæ Deus reuelat, & iubet, esse nobis restituendum. Est enim credendum, quoniam Christi opera fuerunt perfecta, quibus dum corpori sanitatem conferebat animæ quoque salutem dabat. (vt 3. parte est dictum) hunc Malchum, statim atque beneficium hoc accepit, admirantem miraculi magnitudinem, & Christi omnipotentiam, etiam in eum credidisse, & animæ sanitatem recepisse; ac à maledicta illa hominum sœce, cum qua venerat, se separasse, & domum reuersum fleuisse, quod homini a deo Sancto atque potenti, tanta inferretur iniuria! O mutationem dexteræ excelsi. Tangere, queso Domine, animæ meæ auditum, illumque perfectè sana: vt serui spiritu abiecto, verè suam Malchus, quod Regem significat; fideliter tibi passionum mearum domino, seruiens: cui seruire est verè regnare.

Amen.